14

RANCISCI LAMURE

DOCTORIS MONSPELIENSIS,

ıthologicarum de Febre & palpitatione lectionum.

VINDICIÆ.

ṇiùs irritant animos demiſſa per aurem.
am quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus. Horat.

A B iis qui vacantem in celeberrimâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Regiam Cathedram ambituri, nomina dederant, conſpectus univerſæ Pathologiæ fuit exponendus; ſic placitum Profeſſoribus Regiis Illuſtriſſimis; exigebat itaque penſi ratio quædam in decurſu prælectionum ab unoquo- candidato de Febre & palpitatione proferrentur; re nactus occaſionem, nullo contradicendi ſtudio, veri indagandi cupidine percitus, quid de iisce arnentis ſentiendum potius videretur, candidè aperien; ſed ecce me ex improviſo perſtringit unius (*a*) ex anoniſtis acerrima cenſura; reliqui omnes ſilent quàmvis em, quæ ille, de Febris eſſentiâ protuliſſent; adeò ım viſus fueram dicendo cujuſvis opinionem de inriâ impugnare voluiſſe; interim vix ac ne vix quidem lici nomine dignus perhibeor; quæcumque ſunt à me a, vel jocoſé accipi debere prolata, vel haud quam toleranda, in medicinâ prorſùs hoſpitem ſapere,

(*a*) Dom. Serane.

quantùm licuit, facetè venditatur ; Quid ad hæc? ſepoſitis dicteriis unam aut alteram iis interſperſam difficultatem proviribus ſolvere aggredior, moneo ſolùm mihi neque locum, neque tempus jocandi ſuppetere, rogo ennixè antagoniſtam ſtrenuiſſimum ſua velit adverſùs ſententiam prolatam placita ſcriptis mandare : rem eſſe ſeriam in quâ diſſentiremus, plurimique philiatrorum intereſſe ut ancipites non hærerent in aſſignandâ Febris eſſentiâ, animadvertendum ſuadeo, igitur ſcribendum eſſe, ut hinc & inde penſitatis rationum momentis, Profeſſorum Regiorum decretorio judicio totalis componeretur, & doctrina firmior evaderet; ille, quàmvis aggreſſionem molitus, negat ſe adduci poſſe ut prior ſcribat, tamen reſponſionis laborem non recuſaturum publice ſpondet; huic promiſſo fiſus, illectus que ſpe caliginis quâ ſuffundebatur diſceptationis argumentum excutiendæ ab experientiſſimo adverſario, eorum quæ mihi veriora viderentur expoſitionem mox tradendam propalo ; ſed ille morâ & dilatione prudentior factus, jam polliciti immemor, ſe nihil typis commiſſurum profitetur, vivâ voce ex cathedrâ quaſcumque difficultates quæ potuiſſent objici, dilutuṙum; catè dicam an malignè me in ſenatûs medici Monſpelienſis declinandæ juriſdictionis ſuſpicionem adducit; aſt minimè vereor ne hujuſcemodi aſtutiâ moveantur emunctiſſimæ naris, optimi viri; quod præſto, id quotidiè præſtant cauſarum patroni; hi lites inſtruunt, leges, regum edicta variacitant & inter ſe conferunt, mutiſque litteris ſuas defenſiones conſignatas, judicibus exhibent; neque eos ejurare, multò minùs inſcitiæ inſimulare velle, propterea videntur. Hâc itaque ex parte ſecurus memet ad ſcribendum accingo, non, ut cujuſvis authoritatem declinem, à quo ſum alieniſſimus, ſed ut pateat me quidem errare potuiſſe, verùm non malignitati, non vili aſſentandi ſtudio, ſed humanæ naturæ parum caventi aut imperitiæ meos errores adſcribendos eſſe, quibus ergo pervicaciter non inhærebo, ſi licuerit reſponſionem ex

rquere, quæ me falſitatis arguat & convincat.

Quæ ſum hoc opuſculo complexurus, trium propoſi-
onum arctis limitibus compendioſé circumſcribi poſſunt;
uarum veritatem pro tenui modulo evincere conabor:
enim totus vertitur controverſiæ cardo.

1â. *Propoſitio.* Qui definiunt Febrem, eſſe, præterna-
ralem pulsûs frequentiam, difficultatibus obnoxii ſunt
x ac nevix quidem ſolvendis, ſervatâ definitionis legum
tegritate, aut inter Febres, recenſitâ Febris ſpecie quàm
cunt malignam.

2â. *Propoſ.* Febris poteſt definiri morbus, in quo vis
rdis ad vim conſtantem muſculorum voluntati ſubdi-
rum major eſt quàm in ſtatu ſanitatis.

3â. *Propoſ.* Cauſæ palpitationis per expanſionem ſi-
um & auricularum cordis explicatæ, vix ac ne vix
idem inventæ ſaltem demonſtratæ gloria denegari po-
t clariſſimo Ferrein Profeſſori Regio Pariſienſi meri-
imo.

ARTICULUS PRIMUS.

quo adſtruitur veritas 1æ. Propoſitionis.

*T ut, Febris, morbus frequens adeò à medicis obſer-
vetur, intereà tamen neque de notis ejus characteriſ-
s conſtat apud eos, neque de ejus eſſentiâ. Celeberr.
es. tractat. de Febri. pag.* 1. Idem Tauvryus. ſentit.
tiq. des malad. aigues. tom. 1. pag. 183. reverà quis
mediocriter verſatus in authorum lectione, prodigio-
ſententiarum diverſitatem circâ Febris eſſentiam plu-
non deniratus eſt? Femelius cum priſcorum turbâ,
rem determinat per calorem præternaturam è corde
mne corpus effuſum. Fern. de Febrib. pag. 448. mihi;

Wiliſius ſe ſe rem acu propius tetigiſſe ratus, ponit Febrem eſſe tantum fermentationem, ſeu effervefcentiam immodicam ſanguini & humoribus inductam. tom. 1. de Febr. pag. 63. mihi; Bellinus Theoriæ Medicæ lux tamdiù & etiamnùm habitus, aſſerit Febrem eſſe vitium ſanguinis in motu aut in quantitate, aut in qualitate ejus, aut in horum aliquibus, aut in omnibus. de Febrib. Propoſ. 35. Juxtâ Hoffmannum, alios que Febris conſtat duplici motu; alio quo ſanguis à circumferentiâ ad centrum, alio quo à centro corporis ad circumferentiam propellitur, & hibini motus juxta prælaudatum virum Febris eſſentiam conſtituunt. Hoffman. de Febr. tom. 2. infol.

Sydenhamio quem nominare, laudare eſt, celeberrimo practico, Febris eſt, naturæ inſtrumentum quo partes impuras à puris ſecernat: Feb. conti, an 1661, 62, mihi pag. 63. ſic Nenter fundament medic. p. 365.

Sthalio, Febris dicitur, inſigniter & ſatis conſtanter alteratus motus ſanguinis, & hunc veluti preſſis veſtigiis inſequentia, etiam caloris, frigoris, ſenſationum augmenta; roboris autem ad voluntarium motum, impotentiæ, ſeu atoniæ. Sthal. Theori. Med. ver. pag. 925.

Ad Febrem conſtituendam requiritur 1°. Pulſus eſſentialiter frequentior, 2°. Pulſus majoret vehementior, quàm quidem eſſet, poſito, citrâ Febrem, eodem corporis virium gradu. Ferrein. quæſt. decima.

Tandem multis placuit frequentiâ pulſûs præternaturali totam Febris idœam includere.

II.

1°. *Interdùm in principio (Febris malignæ) pulſus eſt fere connaturalis, & pulſui ſanorum ſimillimus: ut docet Galen. 3. de præſag. cap. 4. in progreſſu tamen & morbi augmento frequens, parvus, debilis, & intequalis apparet. frequentia tamen perpetuo* major erit quàm pro ratione caloris adaucti. River. prax. med. lib. XVII. pag. 330. infol

2. *Inter initia* (*Febris malignæ*) *ſæpe pulſus ſunt naturalibus ſimiles, aut non multùm ab iis diſcrepantes apparere ſolent, quod diligenter obſervandum, & alia* etiam ſigna conſideranda *ſunt, ne hic decipiamur.* Sennert. edit. Pariſ. ann. 1641. p. 726. col. 1.

3. *Etmullerus de Febre malignâ ait, pulſus in initio naturali ſimilis, & ſubito debilis & parvus evadens, interdum, in initio frequens, parvus, & in progreſſu multis modis inæqualis. etmull. compend. ptactic. editio. venet. ann.* 1525. *pag.* 282.

4. *Pulſus frequens, parvus, imprimis debilis, aliquando naturali ſimilis, cùm inquietudine, anxietate,* aliiſque peſſimis, unde & talis pulſus peſſimus eſt &c. Belli. de Febrib. edit. Lugd. Bata. pag. 260.

5. Tauvryus quintâ morbi die accerſitus ad juvenem Febre malignâ laborantem quem nullâ, vel exiguiſſimâ Febre detentum judicarat medicus ordinarius, in ægrotante reperit pulſum *lentum* & depreſſum. Obva. 4. tom. 2. p. 428. pratiq. des aig. neque clariſſimi viri fides in ſuſpicionem vocetur, quia diſerté negat ex frequentiâ pulsûs certò dignoſci Febrem. tom. 1. pag. 186. & exinde timendum venit ne præconcepta opinio ipſum minùs fidum obſervatorem aut obſervati narratorem effecerit; talia enim fingere ſi liceret, quænam authoritas faveret egregio antagoniſtæ?

6. *In Febribus malignis pulſus aliquando humilis eſt, occultus, inæqualis intercidens; aliquando celer, frequens, robuſtus, aliquando à ſe ipſo parùm, aut nihil mutatus...... cur autem pulſus perſtet immutatus, alii aliud cauſantur.* Menjot. Feb. malig. hiſtor. pag. 34.

7. Anno 1694. magnus Chiracius, ſolâ fide obſervationum ſuarum theoriam fulciens & medendi methodum, febres malignas obſervabat in quibus, ad quartum uſque diem pulſus parum micabat, (parvus & depreſſus), tunc vel ferme ſimilis naturali, vel naturalis, vel maxime febrilis, vel debiliſſimus evadebat, ad uſque morbi finem.

Chirac. *des fievres malign. &c. pag.* 49, 50. Quin & poſſum aſſerere, (quod libellum aureum pervolventi patebit) ne quidem ſemel, inter ſigna febris malignæ caracteriſtica a ſummo viro memorari pulſûs frequentiam. (*a*)

8. Illuſtriſſimus Regius Archiater hujuſce Univerſitatis dulciſſimum decus & præſidium, in theſi quam ſcripſit Egregiam de Febre malignâ. p. 7. ait: *in Febribus malè moratis, pulſus non infrequenter inter initia ſanorum pulſus æmulantur, vel parum à ſtatu naturali recedunt. pag.* 5. deſcribit pulſum qualis exploratur in eo morbo, qui perſæpe parvus, languidus, mollis, depreſſus, occultus, inæqualis & intermittens, interim quoque parum a ſtatu naturali recedens, præſertim in initiis obſervatur. & pag. 6. per tranſennam animadvertendum cenſet, in Febribus malignis, pulſus admodùm celeres & concitatos, & quandoque vehementes deprehendi.

9. Quotieſcumque volo iis ad ſtipulari qui aſſerunt, ubi Febris eſt, ibi reperiri debere motum ſanguinis adauctum, & validiorem Fibrarum oſcillationem, impellor ad exiſtimandum, Febrem malignam a coagulo, propriè Febrim dici non poſſe; quia in eâ non obſervatur talis adaucta velocitas. viſone. util. uſo. delle batture. edit. venet. ann. 1741. pag. 84. (*B*)

Traité des Fiévres malignes & des peſtilentielles pag. 50.

(*a*) „ En général le pouls brilloit peu juſqu'au quatre de la „ maladie; il devenoit ou preſque ſemblable, ou naturel, ou „ très fievreux & très foible, depuis le quatre juſqu'à la fin „ de la maladie.

Util uſo delle Battiture in Medicina pag. 84.

(*b*) Quantumque volte io voglio eſſer dello ſteſſo ſentimento di coloro, li quali aſſeriſcono, che ogni dove vi è febbre, debbavi eſſere movimento accreſciuto nel ſangue, edaccreſciuta oſcillazion nelle fibre; altrettante mi ſpingo à credere, che la Febbre maligna di coagulo, propriamente Febbre dir non ſi debba; perciocchè in eſſa non vi ſi oſſerva una tale accreſciuta velocità.

Plura adhuc variorum authorum loca, nec minùs faventia dicendis, citare poſſem, ſed & in nimiam molem excreſceret opella quam arctis cancellis circumdare mihi eſt animo conſtitutum, & nauſeam fortè lectori moveret faſtidioſa & ſæpiùs oſtentationis arguenda ſcriptorum prolixa recenſio; idque tantò potiori jure timendum eſſet, quod omni ex parte ſufficiant ea quæ jam in medium adduximus, neceſſaria maxime. 1°. Ut conſtaret inter Medicos non adhuc dum extrâ litem poſitam eſſe Febris eſſentiam, & ideo licere unicuique vel dubius hærere, vel ſi quid forſan veriſimilius crediderit, hoc candidè proponere, abſque eo quod vel latum unguem deceſſiſſe dici queat ab obſequio quo ſibi juniores Medicos devincire debent artis antiſtites.

2°. Ut de preſentiâ aut abſentiâ frequentiæ pulſûs in Febribus quibuſdam malignis, litis motæ ſolis obſervationibus dirimendæ, deciſio unicuique lectori obvia fieri poſſet itaque hiſcè poſitis ratiocinii fundamentis practicis, ſic ad propoſitionis primæ veritatem evincendam progredi juvat.

I I I.

Definitio debet competere omni & ſoli definito docent Logici; Febris maligna incipiens verè eſt Febris maligna, docent Pathologi qui morbos diſtinguunt in incipientes, creſcentes &c. Ex quibus principiis liquet ex frequentiâ pulſûs præternaturali definitionem Febris non eſſe petendam, ſi reverà obſerventur morbi quos hactenùs omnes Medici Febris nomine ſalutarunt in quibus tamen ſaltèm incipientibus, frequentia pulſûs perſæpe nulla eſt; atqui tales morbi dantur obſervandi; & in exemplo ſit Febris maligna, & quæcumque de ſtatu pulſûs ipſâ ineunte dicta ſunt (§ 2.) huc attentè revocentur, & bonâ fide perpendantur; nam ſolâ obſervatorum fide nodum hunc ſolvendum ſatis, ſuperque patet; igitur concludere liceat, minùs exac-

tè per frequentiam pulſûs præternaturalem definiri Febrem; ſalvis neque id fieri definitionis legibus vulgatiſſimis.

Cujus quidem ratiocinii tanto majorem eſſe vim exiſtimare fas erit, quod, eo ipſiſſimo videatur uti celeberrimus hujuſce Lycei Profeſſor, ad ſubvertendam antiquorum definitionem ex calore præternaturali petitam; ipſum audiamus multiplici nomine orbi Medico notum clariſſimum virum.

Et ſané præternaturalis ille calor Febrem non ponit, cum is ſæpé, obſervetur ſine Febre, & viciſſim afficiat ſæpiſſimé Febris ipſa ſine calore, ut ingruentibus pluribus Febribus continuis earum ve exacerbationibus, ut initio acceſſuum Febrilium, ut in non nullis Febribus malignis, Epidemicis, caſtrenſibus, algidis vulgo nuncupatis; cum etiam in Febribus malignis calor a naturali non multùm abſcedere ſoleat, imò ſæpe ei ſimilis ſit.

Neque profectò eruditiſſimo Profeſſori placebat reſponſio Fernelii p. 449. aſſerentis, rigorem, horrorem ve Febrium intermittentium, tametſi eſt acceſſionis initium, Febrem tamen haud quaquam cenſeri poſſe, quod nondùm ſit calor incenſus neque per exitialem Febrem partium extremarum frigus e Febris eſſentiâ eſſe, neque ullam rectè poſſe frigidam Febrim apellari, sed omnem in caloris genere ſubſiſtere.

Similia enim reſponſa in gratiam hypotheſeos ſemel ſtabilitæ potiùs, quam veritatis tectæ ſartæ que defendendæ excogitata videntur; & quidem eorum vis tota iiſce paucis includi poteſt; calorem eſſe de Febris eſſentiâ poſui, ergo ubicum que Febris calor aberit Febris nulla admittenda eſt, ſed ingruentibus paroxiſmis Febrium, initiis acceſſuum frigus adeſt non calor, ergo abeſt Febris; alioquin enim hypotheſis falſa eſſet, quod nolim concedere; porrò non quæritur utrùm juxta hypotheſim quamcumque propoſitam Febris ſit in hac vel illâ circumſtantiâ, ſed utrùm Medici omnes clinici tunc Febrem adeſſe dicant

nam;

nam hypotheſis, clinicæ, non clinica, hypotheſeos ad Leges componi debet; iiſce animadverſis, quanti ſit reſponſio vivâ voce, ex Cathedra data ab antagoniſtâ ſtrenuiſſimo, quiſque facile dijudicabit; is etenim fatetur per initia ægrotationis, pulſum obſervari aliquando, qualem memoravimus, ſed negat tunc dici Febrem adeſſe; ſed præludium Febris, quia nulla eſt frequentia pulſûs, & in eâ præternaturali poſuit eſſentiam Febris; numquid, amabo, ipſiſſimum eſt illud fernelianum reſponſum, ſicuti quam in medium attuli difficultas, eadem eſt quam adverſûs antiquos urgebat Profeſſor optimus ſupra citatus? Numquid tali defenſione definitionem antiquorum propugnari poſſe bonâ fide putat adverſarius Egregius? ſit penes ipſum judicem; nec reponat ſe communem clinicorum loquendi morem uſurpare, omnes enim quos citavi plures (11) procul dubio medici, erant clinici celeberrimi, & Febrem malignam incipientem deſcribunt, notis, quæ minime faveant impugnatæ definitioni, quod puto ſatis jam liquet.

Verùm quid ſummi Chiraci obſervationibus opponet antagoniſta? ille non (11. 7.) per initia tantùm, ſed aliquando per totum morbi decurſum, ferme ſimilem, aut naturalem pulſum obſervat; nullum hinc effugium ſupereſt, niſi ſuis inſiſtendo ratiocinandi principiis contendat, Febrem non fuiſſe malignam, quam talem pronunciabat vir experientiſſimus & ſagaciſſimus. Quare vir in arte maximus ne quidem ſemel inter ſigna diagnoſtica Febrium malignarum, pulſûs frequentiam commemorat? hic fateor mihi aquam hærere; neque enim vel ex ipſiùs adverſarii Logicâ, reſponſi formulam eruere poſſum; neque tamen ab ipſo dari poſſe pernego, qui noverim quantâ ſolertiâ nodos reſecare ſoleat alioqui ſolutu difficillimos.

Quibus omnibus rite penſitatis, concludere fas ſit, eorum opinionem qui definiunt Febrem eſſe præternaturalem pulsûs frequentiam, difficultatibus graviſſimis eſſe obnoxiam, ſi ſervari velint definitionis leges integræ, aut non

expungantur è numero Febrium, morbi quos eo nomine apellitarunt hucuſque clinici; quod ultimum præſtandum optimè præſenſerat Viſone. (11. 9.); interim conſequentiæ ex ſtabilitis deductæ firmus inhærere liceat, quouſque vividum è Cathedrâ jubar evibratum, nubeculas fugaverit queis obſcurare ſum anniſus temere accenſam ab antagoniſtâ meritiſſimo veritatis facem.

ARTICULUS SECUNDUS.

In quo probatur Febrim dici poſſe, morbum in quo vis cordis, ad vim conſtantem muſculorum voluntati ſubditorum, ratio major eſt, quàm in ſtatu ſanitatis.

I.

PRoblem. an à medicis æſtimari poſſint cordis vires, ex legibus hygraulicorum, quantùm artis exercitio ſatis eſt, determinare.

Poſtulata varia.

1o. Leges hygraulicæ humoribus per vaſa corporis humani propulſis aptari queunt & debent.

2o. Cor eſt machina cujus ope fluida pelluntur in canales multiplices ex quibus humanam febricam contexi docet auatome.

3o. Itaque vis ejus æſtimanda eſt perpenſis, mole ſanguinis in vaſa projecti, velocitate quâ projicitur, reſiſtentiis ſuperatis.

4o. Moles ſanguinis projecti cognoſcitur ex magnitudine pulsûs, quæ indicat proximè (*a*) exploranti ſpatium

(*a*) Nam mathematice loquendo magnitudo pulsûs eſt ut quadratorum Dyaſtoles & Syſtoles diametrorum differentia; quæ quadrata cum medicum lateant, eorum diametrorum ſimplicem differentiam ut potè veritati Phyſicè proximam, digito ſubjectam, indigitare ſufficit.

à parietibus arteriæ percurſum in quavis Diaſtole.

5°. Velocitas reſpondet magnitudini & frequentiæ per ſe multiplicatis; hinc pulsûs eâdem magnitudine datâ, velocitas reſpondet frequentiæ pulſationum intrâ datum tempus; manente eâdem frequentiâ, magnitudinis rationem ſequitur; mutatis & frequentiâ & magnitudine, erit in ratione compoſitâ utriuſque.

6°. Unde liquebit velocitatem adaugeri poſſe imminutâ magnitudine; modò frequentia creſcat in majori ratione, quàm decrevit magnitudo; pariter frequentiâ imminutâ celeritatem nihilominus majorem obſervari poſſe, ſi in majori ratione creverit pulsûs magnitudo, quàm imminuta eſt frequentiâ, & vice versâ.

7°. Cognoſcuntur reſiſtentiæ, perſpectâ. 1°. Quantitate ſanguinis permanentis, quam docent ſigna plethoræ & inanitionis apud ſemeioticos. 2°. Gradu viſcoſitatis animadverſo cujus etiam majoris minoriſve ſigna tradunt ſemeiotici. 3°. Perpenſis affrictibus qui ceteris paribus, ſemper reſpondent parvitati pulsûs. 4°. Ex cognitâ parietum vaſorum renitentiâ quam indicant pulsûs tenſio & durities.

8°. Medici callent ſemeioticen, & quotidie obſeruant varietates in magnitudine, frequentiâ, tenſione, duritie pulſuum, & pro termino comparationis ſibi animo ſemper obvias habent datas conditiones quales ut plurimùm obſervantur in ſanis.

9°. Corollar. ergo medici perſpecta habent quæcumque ſunt neceſſaria ad vires cordis æſtimandas ex hygraulicorum legibus, nam juxtâ eos, vis cordis reſpondet rationi directæ quantitatis propellendæ velocitatis quadratæ, & ſimplæ reſiſtentiarum aggregati: porrò ut ex dictis patet, in promptu ſunt medico varia media, quibus & quantitas propellenda, & velocitas, & reſiſtentiæ cognoſci queant ſaltem quantùm ad artis exercitium requiritur. Ergò nil impedit quominùs medici poſſint æſtimare vires cordis, proinde que eas inter ſe comparare tum in

ægro tum in ſano deprehenſas, ex hygraulicis.

Scol. neque igitur ad vires illas æſtimandas plùs indigebunt armamentario Mathematico-phyſico, quàm pendulo, ad æſtimandam pulsûs frequentiam, ex quâ Febris intenſitatem dijudicari poſſe autumant, neque enim difficilius cognoſcuntur aliæ conditiones pulſuum memoratæ, quàm ipſa met frequentia, & in iiſce, ut in pleriſque obſervationibus phyſicis requiritur ſola acribeïa phyſica. Forſan antagoniſtæ diſplicebit reſiſtentiarum mentio in æſtimandis cordis viribus, cum ipſe nolit à medicis earum ullam haberi, aut haberi poſſe rationem, verùm cum omnes clinici diſtidguant utiliſſimè vires oppreſſas ab exhauſtis viribus, quam diſtinctionem ſummè neceſſariam milliés prædicat illuſtriſſimus Archiater, de Febre maligna, & alii innumeri, cumque vires oppreſſæ nil aliud ſint, præter vires ſatis magnas ſed quarum effectus penitûs reſiſtentiis deſtruitur oppoſitis, non eſt cur hic diutiùs immoremur in aſſerenda veritate quæ à nemine, ſi forte excipiatur adverſarius, in dubium vocatur.

II.

Problema. Methodum aſſignare cujus ope vires muſculorum voluntati ſubditorum inter ſe comparari queant in ſano & morboſo ſtatu.

Poſtulata.

1°. Vis conſtans muſculorum voluntati ſubditorum dicitur ea, quam nutu voluntatis exercent, aut exercere queunt cum facilitate.

2°. Cum facilitate eos motus fieri conſtabit ſi nullum, vel ſaltem minimum, aut brevi evaniturum laſſitudinis aut moleſtiæ ſenſum inducant.

3°. Doctrinæ gratiâ magis perſpicuæ, vis illa in actualem & potentialem dividere liceat.

4°. Actualis menſuratur effectibus præſtitis, quales ſunt multiplices exantlati labores, & exercitia varia.

5°. Potentialem cognoſcendam præbet ſolus ſenſus internus quo ſibi quiſque (non mente captus aut delirus) conſcius eſt ſimiles effectus aut etiam intenſiores à ſe exeri poſſe, abſque defatigatione. Menſura igitur illiûs optima eſt gradus levitatis corporis ad ſenſum, ſive vis actualis non exerceatur, ſive dum exercetur, aut ipſâ etiam adhibitâ.

Corollar. 1um. Ex quibus conſtabit vires conſtantes eſſe in ratione compoſitâ vis actualis & potentialis, vim actualem intendi poſſe decreſcente interim ſummâ viriùm conſtantium, ſi nempe decreſcat adhùc in majori ratione potentialis, & vice versâ, utcumque nulla vis actualis aut exerceatur, aut exerceri poſſit, virium conſtantium quantitatem ex potentiali ſatis apte menſurandam eſſe; ſic Paralyticos alioqui ſaniſſimos obſervare eſt qui licet propter defectum organi nequeant ullatenùs movere corpus, tamen ſe promptos, agileſque ſenſu interno experiuntur.

Corollar. 2um. Unde tandem eruemus methodum comparandæ vis Muſculorum conſtantis in ſtatu morboſo, relative ad ſtatum ſanum; ſi quidem collatis inter ſe vi actuali & potentiali in ægro & in ſano eodem homine; porrò vires in ſano quæ fuerint, ſatis edocebit interrogatus æger, aut ex adſtantibus ediſcetur, aut tandem conſtare poterit approximatione, ex inſpectione ægrotantis, temperamenti, ſtaturæ, vitæ genere, & ſimilibus; queis non potiora dantur ad hariolandum quis fuerit in ſano frequentiæ gradus, quocum neceſſario tacitè comparanda eſt in ægro obſervata frequentia, ut minor, aut major pronuncietur; & quibus tamen ad id præſtandum Meliis huc uſque contenti, & meritò, vixere Medici.

III.

Propoſitio. Qandiù ſanitas perſtat, quædam ratio videtur perpetuò ſervari inter vim cordis, & Muſculorum voluntati ſubditorum.

Hujuſce propoſitionis veritas patebit ſatis attendenti, intrâ limites ſanitatis, viribus circulationis creſcentibus, vim quoque conſtantem Muſcularem creſcere perpetuò; decreſcente priorum Energiâ, poſterioris efficaciam labefactari ſeu imminui; ſic obſervatu maxime obvium eſt, in infantibus, pueris, juvenibus pari paſſu adaugeri & robur corporis, & actionem vitalem cordis; e contrâ in laboribus, jejuniis exhauſto (tamen adhuc ſano) vires vitales & muſculares ſimul langueſcere; id omnium optimè cernere eſt in convaleſcentibus ex diutino morbo, quibus agilitas ad varios motus corporis redit unâ cum adaucto pulſûs robore. Itaque liquet obſervatione ſedulâ nos id doceri, quod monuerat olim Pitcarnius, ſcilicet, *vires natutales eſſe in datâ proportione ad vitales & utraſque in datâ proportione ad vires animales.* Element. Medici. pag. xx.

Scholi. Quamvis præcisè rationem datam determinare non poſſimus, tamen notum eſt ex dictis (III.) illam eſſe turbandam quotieſcumque in eodem ſubjecto ægrotante, vires cordis ſervabuntur in majori ratione ad eas quæ fuerant in ſano, quam vires Muſculorum conſtantes ſub iiſdem reſpectibus (ſanitatis & morbi) conſideratæ: porrò notæ ſunt methodi (I. II.) quarum ope in utroque ſtatu uires tum vitales rum Muſculares, inter ſe comparari poſſint; ergò quantùm requiritur ad artis exercitium, adhibitâ attentione debitâ, Medicus poterit dignoſcere an ratio hæc turbata ſit, nec ne, & quomodo.

IIII.

Propoſ. Febris eſt morbus in quo vis cordis ad vim conſtantem Muſculorum voluntati ſubditorum ratio, major eſt, quàm in ſtatu ſanitatis.

Morbus ſuo ſigno Pathognomonico definiri debet; ſed ratio vis cordis ad vim conſtantem Muſculorum vo-

ntati ſubditorum, major, quàm in ſtatu ſanitatis, eſt gnum Febris Pathognomonicum; nam in toto Febris deurſu præſens eſt, neque uſpiàm reperitur, niſi & Febrem deſſe pronuncietur ab omnibus clinicis; quod quidem evidentiûs pateat, animadvertendum eſt, rationem inr vires vitales & Muſculares poſſe mutari diverſimodè, rvatis tamen conditionibus in propoſitione allatis niirum.

1°. Manentibus iiſdem Muſculorum viribus, ſi vis vita. habito ad ſanitatem reſpectu creverit.

2°. Decreſcente motus muſcularis Energiâ, interim adctâ aut ſaltem perſtante vi cordis qualis in ſanis obſertur.

3°. Adauctis & cordis & Muſculorum viribus, itâ taen ut in minori ratione creſcant poſteriores quàm prios.

4°. Imminutâ & cordis & muſculorum Energiâ, ſed iori fractâ minùs proportione ſervatâ quaàm poſteriori.

His poſitis, & in animum revocata Febrium aut morrum Febre ſtipatorum hiſtoriâ; reperietur in hujuſce odi circumſtantiis ſemper majorem eſſe uim cordis ad uſcularem habitâ ratione, aliquo modo ex ſuprâ recenis.

In Ephemerâ, ſynocho imputri leviori, creſcit abſolute cordis nihil, aut parùm mutatis viribus Muſculorum.

In Febribus putridis, ardentibus, Febre malignâ a diſſoione, vigentibus, ſummè debilitantur ægrotantes, intem perſtantè imô ad auctâ vi cordis, vel ad rudes quoſmque ſenſus judices.

In Febre malignâ a coagulo, cum incredibili virium oſtratione pulſus naturalis eſt, aut naturali ſimilis, aut iam quandoque imminuitur, (dum viribus ex hauſtos oritur) ſed in minori ratione quàm vis Muſcularis quæ x ulla eſt.

In Febribus lentis, ſymptomaticis, chronicis, obſervar quidem vis pulſûs minor quàm in ſtatu naturali, ſed

vix verbis exprimi poteſt debilitas ægrotantium, qui vix loco ſæpiûs ſe ſe movere poſſunt.

In acceſſibus Febrium intermittentium tùm frigore tum calore ſævientibus, ſæpiùs obſervatur ſumma Muſculorum debilitas cum etiam adauctis relativè ad ſtatum ſanum viribus vitalibus, juxta leges propoſitas æſtimatis, niſi per morbi Diuturnitatem vires admodùm fractæ ægrum reduxerint ad caſum Febrium lentarum. In morbis inflammatoriis quibuſcumque, robur cordis plerumquè adauctum, vel ad ſenſum rudiorem cujus libet artificis, jungitur cum ſenſu laſſitudinis quo afficiuntur ægrotantes.

In quibuſdam tamen Phreniticis adauctus apparet motus Muſcularis, ſed ſi quis attenderit ad frequentiam pulſûs maximam, ad ejus duritiem, tenſionem, ad ſanguinis viſcoſi inflammatorii tenacitatem, obſtructiones vaſorum, quæ in hoc morbo ab omnibus agnoſcuntur, facilè deprehendet adhuc in majori ratione creviſſe vires vitales, quàm Muſculares; ſed iſte Phreniticorum caſus adhuc magis ex profeſſò dilucidabitur.

Ex quâ brevi recenſione morborum febrilium patet reverâ nullum eſſe inter eos qui non ſtipetur ſigno memorato, unde illud eſſe Pathognomonicum Febris ſignum exiſtimare non dubitabimus, quò uſque egregius Antagoniſta quempiam morbum in exemplum attulerit in quo abſit illud ſignum, & ubi Febrem adeſſe pronuntiant practici, aut in quo reperiatur & nulla Febris agnoſcatur a clinicis. Ergo Febris definiri poteſt morbus in quo vis cordis ad vim Muſcularem conſtantem, ratio major eſt quàm in ſtatu ſanitatis.

V.

Ex dictis in hocce articulo plura deduci poſſunt ad praxim & ad Theoriam fortè non omnino inutilia.

1°. Tantò majorem & periculoſiorem fore Febrem, quantò major erit ratio virium vitalium habito reſpectu ad Muſculares

Muſculares ; indè vel initio Febris malignæ a coagulo, minime decipiendum eſſe Medicum ad amuſſim prædictam Febris intenſitatem & periculum metientem, dum illi, juniores præſertim, qui ex frequentiâ ſæpius in iiſce caſibus nullâ, Febrim judicant, vel nullam vel parvam adeſſe credunt, & in diagnoſi morbi falluntur, cum ſummo ægrotantium damno, nam, ut ait Rondeletius noſter, (de dignoſ. morb. pag. 645.) *ſi a principio erraveris, nil recte perficies, gravis quippe error fit, qui primùm leviſſimus erat.* Porrò ſi illud effatum uſpiàm verùm ſit, maximè quoad Febres malignas ſatis norunt Practici, quia in iiſce, niſi citò, ſerò medela paratur.

2°. Pateſcet cur ſenſus laſſitudinis adauctus, anxietas ſubſequens, etiam nihil aut admodùm parùm mutato pulſu, quandòque exacerbationes in Febribus continuis compoſitis clinicos edoceat; ſi quidem evidens eſt tunc reverà intendi Febrem juxtâ principia ſuperiùs poſita, quæ tamen, & cum ægri detrimento, non ingeminata deprehenderetur à medico ex frequentiâ pulsûs illam metiente, niſi longo uſu theoriæ errores in praxi emendare didicerit.

3°. Patebit cur in apoplexiâ, caro, Febrem adeſſe non ſit pronunciandum, quia in iiſce caſibus, nullatenùs medicus inſtituere poteſt comparationem inter vires vitales & muſculares, propter abolitos penitûs ſenſus internos, quibus tamen indiget (ut quantum ſatis eſt) erudiri poſſit. vid. 2. hujus 5.

Liquebit & pariter quânam ratione in paralyticis dignoſcenda Febris juxtâ idæam propoſitam (2. hujus 5.) etiam ex eodem loco monebimur ne decipiamur quandoque ægris delirantibus, & eos bene ſe ſe habentes exiſtimemus incauti dum interim in peſſimo ſtatu verſantur.

4°. Tandem videbimus poſſe ſolvi difficultatem ex phrenitide petitam, in quâ inquiunt adverſarii, vim majorem muſculorum obſervari quàm in ſtatu ſanitatis ; hæc enim difficultas ut cumque jam ſoluta ſuperiùs, interim cum

multis forte minùs explanata fucum facere poſſit, ideò jam paulo magis dilucidanda eſt.

VI.

Delirium univerſale cum Febre acutâ inflammatoriâ phrenitidem ponit, cujus differentiæ ſunt exacté perpendendæ; nam quandoque phrenitici ſunt, taciturni, debiles, tremuli, quandoque hilares; identidem furore & audaciâ perciti robore vigent indomito; rurſus vel ſymptomatica eſt phrenitis, vel eſſentialis, prior frequentiſſima eſt & in temperamentis bilioſis, fervidis, morbo acuto, laborantibus obſervatur, poſterior ab inflammatione menyngum vulgo oriri credita, rariſſima eſt teſtibus Fernelio, aliiſque practicis, & Febrem ſemper antecedentem proximé ſubſequitur; 3â. aut 4â. aut 7â. ad ſummum die terminari ſolet apoplexiâ, lethargo, aut alio ſimili affectu ſoporoſo; ſi protrahatur in maniam abit quandoque; his præmiſſis jam ſolvenda difficultas ex hujus morbi hiſtoriâ deſumpta adversûs eſſentiam Febris à nobis ſtabilitam (IV. hujus: art) 1o. Non hîc objicitur phrenitis ſummâ virium debilitate ſtipata. 2o. Neque quidquàm deduci poteſt ex phrenitide ſymptomaticâ, hæc enim ſequitur rationem Febris exacerbationum, quibus remittentibus in priſtinum & majorem adhuc languoris gradum relabitur æger, non itaque, vel rudiori ſenſu judice, conſtanter validus. Obſervatur in Febrium quâdam ſpecie, (ſyncopali putâ) identidem pulſum omnino deficere ad ſenſum, ſyncope obortâ, numquid exinde ſequeretur malé Febris eſſentiam peti ex frequentiâ pulſus, qui in iiſce caſibus penitus aboletur; adverſarium ſit penes judicium.

Supereſt itaque phrenitis eſſentialis, morbus rariſſimus cui furor & audacia jungantur comites indomito robori, ſed 1o. Febris ſemper antecedit, tuncque ſignis ſuis cognoſcitur. 2o. Vires quæ ſuperveniunt additæ pro conſtantibus haberi nequeunt; nam juxtâ virium conſtantium

definitionem ſuprâ traditam (2. hujus art.) Quis non viderit in phreniticis qui omnes affectu ſoporoſo correpti pereunt virium non fuiſſe conſtantem gradum, quem oculis minùs attentis ſummum exhibebat delirii furioſi præſentiâ ; ergo in phreneticis nequit aſſeri virium maximarum ſummus gradus; dùm vel ipſi met adverſarii fatentur vires vitales ex frequentiâ pulsûs, duritie, impetu, reſiſtentiis oblatis æſtimatas, ingentiſſimas eſſe.

Scholi. Demùm huic articulo finem imponamus 1o. Notando nihil quod pro noſtro venditetur, in eo contineri, nam idea Febris ſtabilita eàdem eſt ferme quam tradit Stall. quam proponit Clariſſ. Ferren Profeſſor Regius Pariſ. & alii defendunt (v. art. 1us.) 2o. Minùs mirandum eſſe, ſi voces ex algebrâ quaſdam deſumpſerimus ad ſenſa brevius exprimenda, quia illæ ſatis facilè vel uniûs horæ ſpatio, quoad ſignificationem addiſci poſſunt, tum quia in hoc ducem habemus ſummum virum, praxis felicitate celeberrimum, qui in opere prorſùs erudiendis practicis dicato, ſcilicet egregio de Febribus tractatu, ſequens theorema proferre non dubitavit *calor omnis corporis humani ſemper eſt in ratione compoſitâ agitationis particularum ſanguinis inteſtinæ, celeritatis ſanguinis cursûs, quantitatis ejus in parte præſentis, ac ejus conſiſtentiæ.* Celeb. Fizes de Febr. pag. 44. porrò qui illud theorema intellexerit, facili negotio à nobis prolata capiet, non enim difficilioribus intellectu vocibus uſi ſumus.

ARTICULUS TERTIUS.

In quo ſtatuitur cauſæ palpitationis cordis per expanſionem ejus ſinuum venoſorum explicatæ, vix ne vix quidem inventæ, ſaltem demonſtratæ gloriam denegari poſſe Clariſſimo Ferren Profeſſori Regio Pariſienſi.

I.

Cor multò vehementiùs ſolito feriens clauſtra thoracis, palpitare dicitur, & illiûs ſic adverſûs coſtas lati motus palpitatio audit, cujus fermè ſemper comes eſt pulſus exilis, frequens, aut inæqualis; eadem generica videtur eſſe cauſa proxima hujuſce Symptômatis, & naturalis adverſûs coſtas ſiniſtras pulſationis cordis; hâc itàque intellectâ, aliàm pariter intelligendam eſſe pronum eſt. Quamobrem quædam ex Phyſiologicis hîc referre liceat.

Cor in thorace ſitum, pericardio laxè obvolutum, coni obtuſioris figuram utcumque referens, parte ſuâ inferiori aliquantùm complanatâ horizontaliter fermè tranſverſim incumbit Diaphragmati; baſis ejus ad dexteram thoracis cavitatem paululùm obvertitur, dum pené totum ad lævam partem extenditur; pendulum eſt a quatuor magnis vaſis, duobus ſcilicet ad baſim tendentibus venoſis, biniſque aliis ex eâdem orientibus arterioſis; venoſi ductus quâ parte cohærent cordi, ſaccos pecculiares faciunt qui dicuntur auriculæ Winſlowo, orificiis ventriculorum cordis ſanguinem admittentibus firmiter accretæ; quarum alia anterior, inferior, fere Diaphragmati contigua vulgò dextra nuncupatur, alia poſterior, ſuperior, columnæ vertebrarum cedere neſciæ innixa, ſiniſtra vocari ſolet. Cordis ſic deſcripti tota moles gaudet duplici motu; recto ſcilicet quo

d anteriora ſiniſtraque pellitur, converſionis alio quo
baſis a ſiniſtris ad dextras arcum circuli deſcribere videtur; hos motus in corde primus diſtinxit, & obſervandos dedit innumeris experimentis ſtabilitos clariſſ. Ferren Profeſſor Regius Pariſienſis; hiſce motibus molem cordis aduerſùs thoracis parietes ferri debere ſatis liquet attendenti ad eorum definitionem; porrò id fieri dum cor contrahitur, docet ejus pulſatio, pulſationi arteriarum ſynchrona; qui ergò intellexerit undenam hi pendeant bini motus, facile perſpectam habebit cauſam mechanicam quâ cor impulſum apice ſuo ferit lævum pectus; verùm attendatur auriculas repleri temporis ipſiſſimo puncto quo cor contrahitur; iis ergò ſimul dilatatis premendam cordis baſim cui accreſcunt evidens eſt, proindè urgendam quâ ſola patet via, hoc eſt ad anteriora & ſiniſtra quibus in locis nil reperitur quod cordi propulſo obſiſtere queat, inde motûs recti explicatio ſequitur; ſed auricula ſiniſtra majori impetu quàm dextra ſibi oppoſita, cordis baſim impellit, tum quia expanditur ſanguine ex Pulmonum textu reduce longe velociùs moto, quàm qui per cavam movetur, tum quia paries ipſius accumbens vertebris cedere neſciis totum impetum ſanguinis accedentis quaſi reflectit ad cor ipſum, dùm vis dilatans auriculam dextram magis æquabiliter diffunditur in omnem hujus ambitum; ergo cordis baſis vi magis efficaci aliquantum obtemperans debet ad dextras & inferiores partes deflecti; hinc motûs converſionis ratio pateſcit luculentiſſimè: feretur itaque moles reliqua cordis eo vehementiori impetu versùs thoracis parietes, quò magis diſtendentur illæ auriculæ; ex quarum ergo expanſione ſolito majori palpitationem & omnes hujus varietates pulcherrimè licebit explanare; *hanc quidem cauſam indicaverat clariſſimus Williſius, ſed tam jejunè, adeò obſcurè, & mancè, ut vix ac ne vix quidem hujus inventæ, ſaltem demonſtratæ gloria denegari poſſit Profeſſori Regio Pariſienſi ſuprâ citato, quem tamen non inficias ibimus veriſimillimè ex*

Wiliſii operibus eâ quâ pollebat ingenii ſagacitate ſedulò penſitatis, primùm inventi ſui ſtamen duxiſſe, quod fortè ibi diù ſpiſiſſimis tenebris obvolutum delituiſſet, abſque tanti viri indefeſsâ ſolertiâ.

II.

Hæc ſunt ultima quæ proferri viſa ſunt (nec diffiteor prolata) adversùs antagoniſtam optimum, qui palpitationem ex iiſdem motibus recto & converſionis explicans diſertiſſimè, tamen in Wiliſium totam explanationis gloriam refundebat: igitur in eo lis poſita eſt, ut determinetur an explicatio palpitationis qualis mox fuit propoſita reperiatur, apud Wiliſium, imò quidquam ex quo facili negotio deduci queat; porrò hoc utrumque pernego; quantàcumque enim diligentiâ Williſium pervolvere potuerim, nil ſimile adinvenire licuit.

Omnia quæ Williſius habet ſeduliſſimè penſitata hiſce includuntur quæ de palpitatione profert. tom. 20. pag. 143. ad finem & 144. *Quâ propter ſuper hâc re, palpitatione, magis ſeriò cogitanti, demùm animo occurrit, quod dum cor ad ſanguinem è ſinubus ſuis excludendum contrabitur, atque mucro & latera undique concidunt, & propiùs adducuntur, ſi tamen ſanguis illicò totus quâque ſyſtole penitùs ejici, & eliminari nequeat, neceſſe erit vaſorum radices ad ſummum impletas, & plurimum extenſas, cum impetu quodam exilire, dein propter reverberationem hîc factam totam cordis compagem valde concuti & Paulo inferiùs..... cum itaque iſtiùs morbi cauſa conjuncta, ſive ratio formalis omninò in ſanguinis circá cordis baſim, & vaſorum radices remorâ & aggeſtione conſiſtat, inquirendum ſequitur.... quot modis ejus modi affectio produci ſoleat.*

III.

Auctor inventi publicus cenſeri debet qui primus ea tradidit, ex quibus idipſum faciliùs deduci poteſt, quàm ulla

rimi Euclidis propoſitio ex ejuſdem axiomatis, definitionibus, & poſtulatis. Dumque ea traderet, non fuit occupatus, in iis corollariis deducendis, quæ millies minoris momenti & utilitatis ſunt, quàm illud ipſum de quo quæritur; at ſi neque ea tradidit primus, ex quibus eâ facilitate inventum colligitur, neque inventum ipſum diſertè explicuit, ſed prolixe & diſerte alia minimi momenti protulerit, tanquam ex datis Emanantia, ille non eſt inventi de quo quæritur, cenſendus auctor. *Pitcarn. ſolu proble. de inventoribus. Theorema primum.* pag. 147.

Notum eſt, Geometras, qui Theorema quodvis demonſtraverint, ab Euclide aliove Geometrâ ante ſe non diſertè demonſtratum, licet facillimè ex aliorum demonſtratis Theorematis fluens, auctores ejus Theorematis, ſemper eſſe habitos, ipſoſque tantò majori eſſe in gloriâ, quanto major foret facilitas, quâ uſi ſint in theoremate ſuo ex aliis ante notis & demonſtratis deducendo, Pitcarn. ibid. pag. 150. & paulò inferiùs.

Nemo eſt, qui geometram, theorematis quod non demonſtraverit, inventorem agnoſcat, minùs ve propterea gratiæ illi, qui primus id demonſtrat, habendum eſſe putet, quod alius veritatem geometricè demonſtrandam conjecturâ & fide aliquâ ſit proſecutus.

Hæc ſunt principia quæ ponit vir celeberrimus ad ſolvendum problema de inventoribus, iis itaque nobis licebit uti, ad ſimilem ſolvendum nodum. Igitur.

IV.

Quærere liceat ab antagoniſtâ ſtrenuiſſimo an non palpitationis explicationem è Cathedra propoſitam omnimodé fulciverit motibus recto & converſionis, ritè intellectis & demonſtratis. Ita certe, neque negat; iterùm quæro an ex ſimplici poſitâ expanſione ſinuum admiſſâ, deduci poſſit exiſtentia motuum recti, & converſionis, multo magis eorum demonſtratio, *facilius, quam ulla primi euclidis propoſitio, ex ejuſdem axiomatis, definitionibus,*

& poſtulatis; Quæro iterùm an id diſerte expoſitum dici poſſit, de quo ne minima mentio fit; porrò certum eſt ab Villiſio ne minimam quidem injici mentionem motuum horum ce memoratorum uti patebit ipſum auctorem legenti, ergo concludere fas erit Williſium non inveniſſe palpitationis explicationem deſumendam ex ſinuum expanſione, nequè minùs propterea gratiæ habendum eſſe, illi, qui primus demonſtravit, quod alius conjecturâ & fide aliquâ tantùm proſecutus eſt admodùm mancè, & obſcurè, dicam nunc & falsè. Nam nemo facilè crediderit, eſſe ipſiſſimam baſim cordis quæ latus ſiniſtrum feriat in palpitatione; porrò hunc, ni vehementiſſimè fallor, errorem gravem admittit Williſius; etenim, *baſis cordis* ob ſanguinem ibi *coacervatum ac in tranſitu hærentem, aut reverberatum, valde impleta extuberat, atque propter auriculæ molem magis tumida, ampliùs evibrat, & latus attollit.* Williſ. tom. 2. pag. 144.

V.

Plura hic poſſem congerere ſimilia argumenta quibus laus debita aſſereretur ſummo viro jam citato; ſed iis ſuperſedere jubent, operis præſcripti limites; aliunde quæ diximus, omni ex parte, ſatis ſunt; ut, licet adeatur Williſius & legatur, tamen conſtet nuſpiam erui poſſe explicationem quæſitam; quod ſi illam, non animadverſis Clariſſimi Ferren operibus, ex iis quæ habet Williſius, proprio marte eruere potuerit adverſarius, ipſi gratulor inventori; & orbi medico gratularer, niſi Profeſſor Regius Pariſienſis prior ſcripſiſſet. Sed jam manum de tabulâ; interim oro enixè antagoniſtam egregium ut ſcribere velit, & errores meos quibus bonâ fide inhæreſco, ſcriptis evellere, nam oraculis è Cathedrâ, velut è ſacrâ tripode prolatis, non ſentio, me nimiam poſſe fidem adhibere; inſuper id non mihi poſtulo, quem nimis novi quo jure alto ſupercilio deſpiciat, fingendis hypotheſibus perpetuò intentum; ſed

ed illud concedatur æquum eſt, authoritati ſummorum
irorum qui mihi facem in iiſce præluxerunt, & utilitati
hiliatrorum; quod ſi non præſtiterit tum vel culpandi
eterni reus habebitur, vel eorum veritati diffiſus, quæ
ninus ſedulò examinata, præceps venditarat.

Cœterùm moneo me nil deinceps de hiſce argumentis
cripturum ſive typis, ſive vivâ voce repoſuerit antago-
iſta egregius, niſi forte quædam proponantur quorum,
olutio in dictis non reperiatur, rem que totam judici-
us integerrimis libentiſſimè permitto.

PARERGON

DE ANEVRYSMATE.

N Anevryſmate arteriæ tunicas rumpi ſemper, credi-
dit omnis ferè antiquitas ad uſque tempora Fernelii,
ſi Freindo fides.) Fernelius ſanguinem ſtagnare haud
ſſe abſque putredine ratus; antiquam Anevriſmatis
eam ſubvertit, & omne Anevryſma, arteriam eſſe di-
atam ſolummodò contendit; à Fernelio incæpit vigere
ſtinctio Anevriſmi veri & falſi; priorem dixere hunc
quo ſimplex erat expanſio arteriæ, poſteriorem voca-
runt illum in quo parietes arteriæ rupti ſanguinem è
vo elabi ſinebant; hæc in ſecundâ prælectione monui,
obſervatione prolatâ, (*a*) contendi nullam in praxi
ſtinctionem poſſe certo fieri inter hæc varia Anevryſ-
ta, quamvis darentur; 2°. Dixi, vix ac ne vix quidem
ud authores reperiri exemplum Anevryſmi veri, ſenſu
eriùs allato, qui fuiſſet notabilis (*b*) debet autem an-

(*a*) Obſervation de Macgill. Eſſais d'Edimbourg. tom. 2.
(*b*) Cum vox illa, *notabilis*, nimis vaga forte quibuſdam

notari me, duce Monroo celeberrimo Anatomico Edimburgenſi, e numero arteriæ tunicarum ſubſtraxiſſe eas quas ſibi adſciſcunt in variis cavitatibus thoracis, & abdominis. Unde ex profeſſo monui ne quis deciperetur, dum obſervaret Anevryſma *clauſum* in abdomine & thorace; nam dicebamus tunc, utcumque omnes arteriæ tunicæ propriæ a nobis admiſſæ rumperentur, fieri poſſe ut ſanguis ſtagnaret intrâ membranas arterioſo ductui adſcititias, non proprias; imò & ſimilem errorem diximus cavendum in aliis corporis locis. v. g. in brachio, ubi ſanguis ex arteriâ effuſus colligi poterat ſub expanſione aponevroticâ bicipitis, quod vidit ſemel Monrous, inde fermè deceptus: ex quibus pronum eſt deducere nullam obſervationem adversùs nos quidquam confecturam, niſi quæ demonſtrabit externam Anevryſmatici tumoris membranam eſſe evidenter compoſitam Fibris annularibus extimam arteriarum tunicam componentibus ex ſententiâ Monroi.

In ea quæ mox dicta ſunt invehebatur athleta (*a*) ſtrenuiſſimus 1o. Solùmmodò quæ dixeram, ex ſcripta fuiſſe ex actis Edimburgenſibus objiciebat deindè verò rem ipſam aggreſſus contendit apud Heiſterum, Littrium, Morgagnum, & Rhuyſchium, proſtare obſervationes anevryſmi veri; ego contrâ pernego, brevi recenſione factâ anevryſmatum quæ deſcribebantur ab authoribus citatis; ille reliquorum oblitus, Rhuiſchii obſervationem trigeſimam ſeptimam, & octavam memorat, aliud inſuper exemplum accerſit ex theſauro nono ejuſdem Clariſſimi viri in quo, nº. v. exhibetur capſula, in quâ conſervatur anevryſma cujuſdam arteriæ intercoſtalis ex homine, magnitudine ovi

videri queat, illam ſic paulò exactiùs determino; cum ovi columbini, aut gallinacei magnitudinem æquans anevryſma notabile vocaverint authores, in arteria intercoſtali aut brachiali, anevryſmum notabilem dicam qui ſimilem proportionem habebit ad naturalem arteriæ affectæ diametrum.

(*a*) Dom Petiot.

gallinacei. Ad ipſum, firmiter coſtis & adjacentibus vertebrarum corporibus adnatum, ſeparandum ab iis, cuneo & malleo opus erat. Quam circumſtantiam ſiluerat egregius antagoniſta, tamen Rhuiſchius putavit tam exilem arteriam in tantam molem ſe potuiſſe extendere, quod non adverſario prætermittebatur.

Reſpondi monſtroſum Anevryſma de quo agit Rhuyſchius non fuiſſe arteriam aortam ſimpliciter expanſam, vel judice Rhuiſchio; nam in eo *ſanguis inter lamellas ſtagnans & exinde acrimoniam contrahens, paulatim tranſudabat, & oſſa lente* corrodebat. Rhuiſch. tom. 1. pag. 38. obſervat; *id quod haud metuendum judico in ſimplici arteriæ expanſione a quâ communiter Anevryſma oriri credimus ubi per continuum novi ſanguinis affluxum tum ſtagnatio, tum ejuſdem acrimonia præpediuntur*, ibid.

Ut ea, quæ demonſtrationem in iiſce prorſus ſapiunt, everterentur, citantur verba quædam hujuſce obſervationis ex quibus patet aortam fuiſſe cum omnibus ſuis tunicis dilatatam; *harum tunicarum extima*, *quæ* proprie arteria aorta erat, *ſtraminis habebat latitudinem.* Repoſui vel ſibi non conſtare Rhuiſchium, vel ibi eſſe Typographi mendum & legendum propria aortæ, & quidem id ſatis conſtat, ex ſuprâ dictis; ſed hujuſce modi ratiocinia minùs movent antagoniſtam; audiat ergò celeberrimum van Swieten, eandem Rhuyſcii obſervationem, ſed cum correctione ſub indicatâ referentem. *Exterior tamen tunica, quæ* aortæ dilatata membrana erat *ſtraminis tantùm craſſitiem æquabat* t. 1. p. 156 Itaque non erat hæc tunica tota aorta ſuis conſtans membranis. Unde firmatur erroris Typographici ſuſpicio; unde deducendum eſt, hujuſce Anevryſmi monſtroſi Rhuyſchio judice, nihil contrâ ſententiam prolatam juvare. Obſervat. trigeſima 7a. eſt Anevryſmi clauſi, qui nuſpiam a nobis fuit negatus poſſe obſervari.

Quod attinet ad obſervat. ex theſauro nono deſumptam, monui nihil in hujus obſervationis lectione reperiri

quod ſuaderet fuiſſe arteriam ſimpliciter expanſam, poſſe credi hunc tumorem fuiſſe confectum ex ſanguine coagulato & indurato cui ſuper accreviſſet plevra dorſalis, ad quod credendum impellebar adhuc magis, quia opus fuerat malleo & cuneo; avellendum tumorem à coſtis, aliunde non ſatis capi, quomodo, ſi tumor ille plenus fuiſſet ſanguine fluido aut ſaltem vi vitae non indurato, tandiu poſſet ſervari, *in capſulâ*, immunis à putredine; ex ſanguine ſtagnante ſecuturam cariem oſſium reſpondebat adverſarius, ſed ego id verùm eſſe, ſi ſanguis ſemel non induraretur; ſed, *riſum teneatis amici* in me graviſſimum telum aſtruitur, feror capſulam ex indico ligno factam, ex theſauro Rhuyſchiano tranſtuliſſe intrâ humanum corpus, & ſeriò hanc fuiſſe in muſæo Rhuyſchiano, non in humano corpore perhibetur coram Profeſſoribus Monſpelienſibus; hæc retuliſſe pudet; tamen, ni feciſſem, aliquid defenſioni meæ deficere putaſſet antagoniſta peroptimus, cui humillimas ago gratias; pro tanta comitate quâ ſæpiùs in dilucidandis erroribus meis uſus eſt; ſatis erit, ſi ex dictis clarum fiat, ſaltem ex prolatis obſervationibus nil ſequi quod opinionem de Anevryſmate a ſummis alioqui viris defenſam ſubvertere poſſit.

Non mihi ſed rationi, aut quæ ratio eſſe videtur.
Milito, ſecurus quid mordicus hic tenet aut hic. Scatig.

Permis d'imprimer le 31 *Août* 1748.
JAUSSERAND, Juge-M. Lieut. Gen.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum. 1748.